

valde probabilis nobis videtur, si restitutio non sit quid grave respectu creditorum, et non nisi intra longum tempus fieri possit; revera enim creditores tunc rationabiliter exigere non possent ut debitor cum tanto spirituali detimento restitueret. Sic card. de Lugo et plures alii.

Quæritur utrum qui, debiti sui immemor, aliquid gratuito creditori suo donavit, ad restitutionem adhuc teneatur.

R. Evidenter tenetur: est *sententia communis*; quod enim gratuito donatur, haberi non potest ut debiti solutio, nisi detur sub conditione restitutionis, si qua forte facienda sit. Ergo. Nec refert quod id donare noluisset, si debiti memor fuisset; non considerandum est enim quid in alia hypothesi factum fuisset, sed quid reipsa factum est: titulo gratuito donavit, ergo debitum non extinxit. E contra, si, debitum cognoscens, aliquid gratuito, apparenter donaret, sed cum formalis intentione debitum solvendi, ad aliam restitutionem non teneretur; quia cum dominium a voluntate nostra pendeat, secundum intentionem in contractibus existentem transmittitur, et non aliter, quidquid exterius appareat: at in praesenti casu non datur ut donum, sed ut vera debiti solutio: ergo.

PARS TERTIA.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

Quadruplicis generis, ut diximus, distinguuntur bona, videlicet bona animi, bona corporis, bona famæ et bona fortunæ. Violatio cuiuslibet juris stricti alterius obligacionem restituendi imponit: at jus strictum alterius violari potest in bonis animi, in bonis corporis, in bonis famæ et in bonis fortunæ: ergo dari potest obligatio restituendi in diversis illis bonis. De his in quadruplici agemus quæstione.

QUÆSTIO PRIMA.

De bonis animi.

Duplicis generis sunt bona animi, supernaturalia scilicet et naturalia. Bona animi supernaturalia sunt ea quæ ad æternam conducunt salutem, ut fides catholica, innocentia, etc. Bona vero animi naturalia ea sunt quæ ad ipsam hominis naturam pertinent, sicut memoria et intellectus.

PROPOSITIO PRIMA.

Qui metu vel fraude alterum in bonis animi supernaturalibus lædit, illum, v. g., inducendo ad peccatum, a vera fide avertendo, etc., damnum istud ex justitia reparare tenetur.

Prob. Unusquisque tenetur illud reparare damnum cuius fuit causa positiva, injusta et efficax: sed qui metu vel fraude alterum induxit in peccatum, damni illius vere fuit causa positiva, injusta et efficax, nam omnes ius habent ut neque metu perturbantur, neque fraude decipiuntur ad hoc ut in peccatum inducantur. Et vero, qui per huiusmodi vias damnum alicui in bonis fortunæ intulisset, ad illud reparandum certo teneretur: a fortiori ergo illud reparare tenetur quod in bonis supernaturalibus animi intulit, bona siquidem animi supernaturalia multo anteponi debent bonis fortunæ. *Ita generaliter theologi.*

Hinc qui falsa docuit dogmata, qui falsis rationibus alterum ad aliquid in se criminosum induxit, ex justitia et cum propriæ vitæ periculo, fraudem suam detegere, et insuper omissa quæ inde secuta sunt damna, quantum in se est, reparare tenetur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Qui sine metu, vi aut fraude alterum induxit in errorem vel in peccatum, v. g., suasionibus, precibus, non tenetur ex justitia, sed tantum ex charitate, damnum istud reparare.

Prob. Ille non tenetur ex justitia damnum reparare,

qui nullam proprie dictam alteri fecit injuriam : sed qui sine metu, vi aut fraude alterum induxit in peccatum vel in errorem, nullam proprie dictam fecit illi injuriam ; scienti enim et plene volenti non fit injuria : ergo. Ita P. Antoine et communiter theologi, contra quos insurgit Collet, dicens veram et proprie dictam in illo casu fieri injuriam ; nam, inquit, ut scienti et volenti non fiat injuria, requiritur quod jus suum cedere possit : atqui homo jus suum cedere non potest ut in peccatum vel errorem inducatur : ergo.

Jus autem suum eo sensu cedere potest ut nulla sit obligatio justitiæ damnum ei illatum reparandi; damnum quippe in præsentí casu stricte imputari non potest ei qui precibus vel suasionibus alterum in peccatum aut in errorem inducit, sed ei qui inducitur, siquidem, etiam positis precibus vel suasionibus, cum deliberatione ad peccatum sese determinat. Ergo.

Cæterum, juxta omnes, qui alterum in peccatum aut in errorem ita induxit, tenetur saltem ex charitate, ac multo probabilius sub peccato mortali, facere quod moraliter in se est, ut illum a peccato vel errore retrahat : parvi ergo resert in praxi utrum ex justitia vel tantum ex charitate ad illud teneatur.

Quæritur utrum qui alium ab ingressu religionis avertit, restituere teneatur.

R. Quæstio hæc iisdem omnino principiis solvenda est ac quæstiones præcedentes : qui metu, vi vel fraude, mendacio aut calunnia alterum ab ingressu religionis avertit, tenetur ex justitia metum et fraudem tollere, et damnum inde secuta reparare, tum erga eum quem decepit, tum erga monasterium a quo illum directe avertit. Qui precibus tantum ac suasionibus usus est, ex charitate solummodo damnum reparare tenetur.

Si autem hujusmodi persuasionibus religiosum professum ad egrediendum e monasterio induxisset, de damno erga ipsum religiosum non teneretur, nisi ex charitate, quia libere consentit. Nec etiam teneretur erga monasterium ex justitia : quandiu enim religiosus professus est

et laborat in monasterio, fructum sui laboris illi debet ; sed sola virtute religionis, seclusis specialibus aliis circumstantiis, tenetur in monasterio remanere. Unde illi cœte egressus, ad restitutionem erga monasterium, propter apostasiam, non damnatur : ergo nec damnandus est, sub hoc respectu, qui in sacrilegum egressum positive influxit aliter quam per fraudem, minas, etc. *A fortiori*, nec qui precibus, suasionibus, etc., egressum postulantis vel noctiū determinavit.

Qui alterum ab ingressu religionis ea mente repellit, quia bona fide putat illum ad hunc statum a Deo non esse vocatum, aut vitam divinæ vocationi conformem non esse ducturum, nullum tenetur reparare damnum ; non enim peccavit, sed bonum operatus est.

PROPOSITIO TERTIA.

Qui alium in bonis animi naturalibus lœdit injuste, ex justitia damnum istud reparare tenetur.

Probatur hæc propositio iisdem omnino rationibus ac prima. Unde qui veneno, vel alio quovis modo, alterum memoria vel usu rationis privavit, tenetur ex justitia hunc morbum curare, si curabilis est, et omne damnum inde secutum reparare.

Pariter, qui ex officio vel conventione alios tenetur docere, sive artem, sive disciplinam, sive scientiam, si non fuerit satis peritus, aut si alumnos negligenter docuerit, premium quod accepit, pro ratione suæ ignorantiae aut negligientiae restituere, et præterea damnum quod intulit, errorem docendo, aut ne melius docerentur impediendo, reparare tenetur. *Est sententia communis.* Si autem gratuito et absque ulla obligatione pacti vel officii male doceret ex ignorantia vel negligencia, ad restitutionem non teneretur; cum enim ex justitia docere minime teneatur, contra justitiam non peccat si perfecte non doceat. Cavere tamen debet ne impedit quominus ab aliis recte doceantur alumni, quia tunc contra justitiam peccaret. Item si, ex perversa intentione aut advertens se insufficientem esse, eos male doceret, ad restitutionem teneretur.